

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst oficjalny

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 184–184v

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 57 [Gn. 51]

[57] De iudicio apprehensi in manifesto scelere presertim vero stuprum et aliam violentiam committentis.

Omnes querimonie et testimonia, que cum criminosis violenciis ac cum clamore ad iudicium, in facto manifesto deprehensa et deducta fuerint, virum metseptimum [*s*] oportet ea protestari circa ius pacis, exceptis vulneribus, que monomachalia non fuerint.

Manifestum autem factum ibi esse dicitur, ubi vir captivatur cum furto aut spolio, manifesto et deprehensus ducitur ad iudicium cum clamore. Insuper etiam manifestum factum ibi esse dicitur, ubi viro cultellus, sicca, gladius aut alia arma in sua manu deprehensa fuerint, cum quibus pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivus ad iudicium cum clamore ductus fuerit. Hunc actor metseptimus vincere debet circa ius pacis. [¹] Et si factum manifestum cum viro ad iudicium deductum fuerit, sic est stuprum, obsidium, irruentia domicilii, homicidium, furtum, spolium, tunc homo probare debet protestando metseptimus.

[*k. 184v*] Si vero vir de istis conquiritur, utpote de stupro, extunc sua querimonia sic debet procedere: „Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod hic homo venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit et spoliavit in corpore, rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt, et ostendere volo factum, ut de iure teneor aut debeo, et requiro in sententia diffinitiva, quomodo ipsum vincere debeam, ut mihi proficiat in iure meo”. Extunc ille petat satisdationem, si vult, quam sibi facere oportet, et dicat se de facto esse innocentem. Tunc tutor mulieris interroget in diffinitiva sententia, si mulier violentiam melius poterit protestari cum his, qui clamorem suum audierunt, quam ille possit evadere, cum ad iudicium sit deductus. Tandem diffinitur iure, quod possit ipsum possibilius vincere cum iis, qui clamorem suum audierunt, quam ille evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demerebitur. Idem vero iudicium super irruentiam domus iudicatur.

¹ na marginesie: Super folio XXXIV.

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, gorący uczynek, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność, uwolnienie od skargi, kara śmierci]